



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

53. De destinatione S. Svivberti ad Episcopatum. refutatur Marcellinus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

loniæ in templo S. Cuniberti magna sunt in veneratione; quæ S. Anno Archiepiscopus aliquando decentius transfuit, ac nouissimè situ & obliuione poenè sepulta Sanctissimus Patriarcha noster Norbertus præuio ieiunio & orationibus in splendorem rursus reduxit vnà cum corporibus S. Gereonis & Vndecim millium virginum.

DISSERTATIO LIII.

De destinatione S. Swiberti ad Episcopatum.
Refutatur Marcellinus.]



Postquam Apostoli nostri graui industria gratia diuina cooperante plurimam fidelium turmam Christo lucrificissent in diesque numerus aueretur, visum eis fuit necessarium Episcopum creari, qui Neophytis Sacramentum cõfirmationis impenderet, Ecclesias consecraret, reliqua Ecclesiasticos ritus, populi Clerique gubernationem concernentia administraret. De hoc consulto eiusque executione sic Marcellinus cap. 10: *Deniq; crescente quotidie numero fidelium, predicantibus cum magna deuotione prefatis predicatoribus, & credentibus gratiam baptismi quicumque ex eis erant sacerdotali gradu præditi ministrarent: nec Ecclesias consecratas haberent ad quas populi conuersum conuocare & diuina celebrare & complere possent: communi decreto omnium confratrum & Neophytorum duos ex eis Episcopos consecrandos elegerunt, qui populo Frisonico præessent verbo predicationis & Ecclesias dedicarent & ordines sacros celebrarent, utpote S. Willibrordum inter omnes merito præfulgentem, virum humilem & totius honestatis exemplis refertum. & S. Swibertum*

rum virum corde mansuetum scripturis sacris & Ecclesiasticis disciplinis apprime instructum. S. vero Swibertus ad Britanniam siue Angliam perrexit cum Acca & duobus Ewaldis caterisque nonnullis Nophytis & ego Marcellinus cum eis. His verbis docet Marcellinus duos vno tempore ab eodẽ collegio fuisse electos, Willibrordum & Swibertum simulque inferius asserens hanc electionem, sicut & consecrationem Swiberti, peractam anno. 695.

Verum hic genium suum insigniter continuat Marcellinus. Planè hæc dissentiunt à V. Beda cuius sunt verba dum agit de prima itione S. Willibrordi versus Romam & reditu ab ea: *Quo tempore Fratres qui erant in Friesia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus & insueto corde Swibertum qui eis ordinaretur Antistes.* Quibus ait primò, vnum fuisse electum eo tempore, S. Swibertum, non duos. 2. S. Swibertum electum eo tempore quo, vel circa quod S. Willibrordus prima vice Roma recenter redierat instructus multis ad Ecclesiæ Frisiæ negotia necessarijs, quod contigit non longe ante annum 693. multo priùs quam S. Willibrordus destinaretur Antistes. 3. postquam compleisset Beda integram narrationem de S. Swiberto, subiungit eodem capite assumptionem S. Willibrordi ad Episcopatum alio modo narrandi ijsque circumstantijs, vt quis facile concipiat posteriori tempore accidisse. Nec dicit S. Willibrordum electum à suo collegio, quemadmodum ante de S. Swiberto retulerat, sed fuisse missum à Pipino Romam consecrationis Episcopalis ergò, omnium tamè fauente consensu. Petijt Pipinus Willibrordum in Episcopum, nominauit, destinauit Episcopum, non electio fratrum quam Pipinus minimè expectabat. Vide differ. 58. in qua pro nostra sententia præter Alcuinum citamus Becanum, Leijdensem isto Marcellino antiquiores.

Petes

Petes, cur Willibrordus non fuerit à Fratribus electus? cur non ille primò Episcopus, qui Dux totius agminis à missore erat designatus? Resp. obtitisse voluntatem Dei illum ad inuersionem sedis Ultraiectinę reseruantes. Et credibile est illos Willibrordum optasse, sed vel illo resignante, refugiente, vel etiam suadente, S. Swiberto vota obtigisse.

DISSERTATIO LIV.

Quo anno S. Swibertus est ordinatus Episcopus.

SANCTUS Swibertus electus statim in Britanniam transfretauit pergitque ad S. Wilfridum Eboracensi sede pulsam inter Mercios versantem, à quo Episcopalem consecrationem adipiscitur. Quo anno?

Ad vnum omnes quotquot hactenus in lectionem meam inciderunt, statuunt S. Swiberto Episcopalem consecrationem datam anno 695. nosque communem mentem in tabula nostra Chronologica secuti, idem proposuimus. Haustum id est ex Marcellini verbis cap. 10: *Atque ipsum (Swibertum) cum magna latitia & solennitate consecrauit (Wilfridus) Episcopum in festo S. Bartholomaei Apostoli, anno scilicet ab incarnatione Domini 695. vocatis ad se in ministerium &c.* Verum lecto attentius V. Beda negotioque aliter discusso, intellexi falsitatem in illa concordia, & Sanctum Swibertum consecratum anno 693. non 695. quod probo: Ait Beda l. 5. historie c. 12. *Quem Swibertum Britanniam destinatum ad petitionem eorum confratrum eligentium ordinauit Reuerendissimus Wilfridus Episcopus qui tunc forte patria pulsus in Merciorum regionibus exulabat; non enim eo tempore Episcopum habebat Cantia. Defuncto quidem Theodoro, sed nec dum Berthwaldo successore eius qui trans-*
mare